



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

Puente, Luis de la

Coloniae, Anno M.DC.XII.

Med. 29. De prouidentia Dei erga creaturas, & innumeris bonis quæ ab ea
proueniunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

MEDITATIO XXIX.

IN QVO CONSISTAT PRO-
uidentia Dei erga suas creaturas: &
de innumeris beneficiis qua
ab ea nobis proue-
niunt.

PUNCTVM I.

S. Thom. 1.
p. q. 22. a. 1.



PRIMO considerandum, quid
ipsa sit prouidentia diuina,
ex huius enim cognitione
proueniet illius aestimatio,
amor, fiducia, veneratio, &
subiectio, quam illi debe-
mus. Prouidentia, teste San-
cto Thoma, est quaedam dispositio, & ordo
mediorum omnium, quae Deus constituta ha-
bet, ut fines suos assequatur; & similiter me-
diorum omnium, quae prouidet suis creaturis, ut
& illae fines suos assequantur, in quos fuerunt
creatae. In qua re tria praecipua sunt perpen-
denda, excerpta ex Meditationibus praecedentibus.

I.
Medit. 5.

PRIMUM est, quod Deus Dominus noster,
diuino suo intellectu à diuina sapientia sua
illustrato, ab aeterno cognoscat & comprehen-
dat omnes fines, quos obtinere & querere possunt
sunt ipsius creaturae; & omnia media necessaria

ria & conuenientia, quæcunq; sunt & esse possunt ad eos fines cōsequendos; & similiter no- uerit omnia impedimenta, quæ possunt eue- nire, & mediâ quibus illa tollantur, aut præ- ueniantur, ita ut reipsa Deus ipse intentum suum finem assequatur, & creaturæ eo modo assequantur suum, quo ipse Deus voluerit.

Ex quo efficitur, ut prouidentia Dei non possit ob alicuius rei ignorantiam deesse aut deficere, sicut euenit prouidentia homi- num, de quibus ait Sapiens: *a Cogitationes a Sapi. 9. 14. mortalium timidae sunt ac dubia, a & incerta prouidentia nostra.* Propter exiguam enim nostram scientiam, magnam verò ignoratio- nem, facile hæremus, verumne sit an fal- sum, quod cogitamus; & num sit bonum futu- rum an malum, tutum an periculosum quod prouidemus.

a Sapi. 9. 14.

SECUNDVM est, quòd DEVS Domi- nus noster diuina sua voluntate, plena infi- nitâ bonitate & charitate, ex omnibus fini- bus ac medijs, quæ diuinâ suâ sapientiâ co- gnouit; voluit & reipsa elegit altissima & suprema, suisque creaturis maximè propor- tionata, iuxta vniuscuiusque naturam & ca- pacitatem.

II.

S. Thom. 1. p. 1. q. 103. a. 2.

Primum enim, omnes illas voluit ad seip- sum dirigere, ob suam gloriam, & ad reuelan- dam bonitatem & perfectionem suam; qui su- premus est finis omniū qui esse possint, iuxta illud Sap. b *Vniuersa propter semetipsum ope- ratus est Dominus.*

b Prov. 16. 4.

Præ.

RO-
as: &
ua

am, quid
diuina,
ignitione
timatio,
eratio, &
li debe-
este San-
& ordo
itura ha-
liter me-
aturis, ut
s fuerunt
perpen-
r qceden-
as noster
entia sua
prehen-
erere pos-
necessa
ria

1. part. Me-
dit. 1.

Ioan. 3. 2.

III.

Medit. 16.

Præterea unicuique creaturarum speciei proprium aliquem constituit finem, mediisque proportionata, quibus illum consequeretur: sed præ omnibus tamen creaturis exaltare voluit Angelos & homines, ad altissimum & supremum finem possibilem, incomparabiliter maiorem, quam eorum natura exigebat: ut essent videlicet beati, sicut est ipsemet, *videntes illum clarè & sicuti est*; eumque diligentes ac fruentes eius gloria. Ad quem finem consequendum, prouidit nobis de omnibus necessarijs & convenientibus medijs in magna abundantia, nam cum eius bonitas & charitas esset infinita, non voluit esse parca in eligendis & prouidendis sufficientissimis medijs, ad finem tanti momenti consequendum.

TERTIVM est, quòd Deus Dominus noster diuina sua Omnipotentia, ab ipso mundi exordio coeperit re ipsa uti medijs, quæ elegerat, & eadem omnipotentia eisdem nunc uti pergat, ac in posterum sit vsura; nec possit deficere in eorum vsu propter aliquem omnipotentia suæ defectum, quæ terminum non habet, sicut nostra potentia: Ut hinc cõstet, Dei prouidentiam tribus his Attributis præcipue inniti, Sapientia videlicet, Bonitati, & Omnipotentia, quæ sunt fons diuinorum beneficiorum, ut supra est dictum.

HAS tres considerationes accommodabo prouidentia, quam Deus de me habet, perpendens, quòd omnes meæ necessitates & miseriae sint illi notæ, & bona, quæ mihi desunt, tam

corpo

corporis quàm animæ: noueritque omnia media, quæ conferre possunt ad eruendum me à malis, & largienda mihi bona; quia est infinite sapiens. Potest item eadem media, prout uoluerit, executioni mandare, & adhibere; quia est omnipotens. Deniq; quia summè bonus & beneuolus Pater est, uult ac desiderat, ut ad ultimum meum finem perueniam: ideoq; dat mihi media ad id conuenientia. quare certissimus esse possum, mihi, cum tali prouidentia, nihil defuturum; quandoquidem nec ex ignorantia, nec imbecillitate, nec ex malitia defectus aliquis in ea inueniri potest. Latere itaq; anima mea, & animo exulta, quòd sub adeo suprema & alta prouidentia vitam tuam ducas, *omnem sollicitudinem tuam proiciens in* *de. Petr. 4.7.*
dom, quoniã ipsi cura est de te. Si tua prouidentia est incerta, Deus eius defectus supplebit; sapientia sua tuam ignorantiam; suã omnipotentia, tuam imbecillitatẽ; suã bonitate, tuam malitiam. Habeas tu curam Dei, & Deus geret curam tui. O Deus animæ meæ, ineamus, quæro, firmissimè hoc pactum, ut mei curã geras, & ego tui: & proculdubio tu eris mihi curæ, & speciali tua prouidentia mei curam gesseris. Ex nunc magno animi gaudio dicam, e *Di. Cant. 2.16.*
ustus meus mihi, & ego illi: res meæ sunt illi curæ, & res ipsius mihi; ille consulet honori & commodo meo; & ego attendam diligenter gloriæ & obsequio illius,
 in æternum, Amen.

PUNCTVM II.

EX hoc pergam ad consideranda innumera & infinita bona, quæ in diuina prouidentia latent, vt ad eius amorem alluciar, & illi confidam: præmittemus verò quoddam eorum compendium, quæ postea suis expendemus.

I.

PRIMUM itaque perpendam, quod diuina prouidentia sit *mater mea*, quæ dat mihi esse quod habeo, & a portat me in utero suo, & gestat in vulua; est mea *nutrix*, quæ me nutrit ac sustentat, & b portat in brachijs suis, tanquam infantem; est *pedagogus*, quia semper mihi est à latere, & me in omnibus vijs meis comitatur: est *regina mea & gubernatrix*, qua me gubernat in toto vitæ meæ decursu; est *magister & consiliarius meus*, quia docet me, quæ nescio, cōsultat in dubijs ac ducit gubernatq; in via, & in rebus agendis, ne aberrem; est *protectrix* in meis necessitatibus & periculis; quia in omnibus adest mihi ipse auxiliū; est mea *consolatrix* in afflictionibus & tristitijs, quia ad omnia plurimas mihi adfert causas & rationes. Ac deniq; quotquot charitatis & misericordię officia fingi possunt, omnia sunt in Dei prouidentia, cum eminentia infinita. obit enim officium Patris, Amici, medici, iudicis, pastoris, & reliqua. Ex quo intelligā, debere me erga diuinā prouidentiam oēs affectus elicere, amoris, fiduciæ, gaudij, & laudis, quos talia officia exigūt, eamq; vt filiū decet diligere, & ad illam tanquam ad matrem recurrere, comitemq; illam

a Isai. 46. 3.

b Osa 11. 3.

c Sapi. 14. 3.

d Isai. 48.

17.

me adhibere, directionem ab illa, consilium, auxiliū, remedium, & consolationem petere.

II.

DEINDE perpendam, quod eadem diuina prouidentia, sit primus fons bonorū omnium corporis & animæ, temporaliū & terrenorū, quæ hæcenus accepi, & accepturū me spero; & illorum omniū, quibus nūc fruuntur creaturæ reliquæ cœli & terræ. Quapropter dixit S. Dorotheus, Nihil sine diuina prouidentia fieri, & ubi prouidentia, ibi inquit omnino bonū est, *Serm. 13.* & omnia ad utilitatē animæ sunt: Omne scilicet bonum, honestum, vtile, ac delectabile. Nam diuina prouidentia fons est virtutum & gratiarum cœlestium, quæ faciunt nos iustos; & bonorū temporaliū, quæ nos iuuant ad vitamducendam; & omnium deliciarum, quæ proueniunt ab vtrisque. Per eandem quoque liberamur à cōtrarijs omnibus malis, vel quia illa nos ab eis præseruat ne incidamus; vel ab eisdem, si incidimus, extrahit, nam in vtroque vult Deus prouidentiam suā variosque modos quibus eam nobis applicet, ostendere: Quamobrem de diuina prouidentia dicitur, e quod dicitur *Sapi. 6. 17.* quos se ipsa circuit quærens, & in vijs ostendit se illi hilariter, & in omni prouidentia occurrit illi, & illis se prior ostēdit, gerens illorū omnem curā possibilem, & oēs adhibens modos prouidentie, qui erga illos haberi possunt, ad eorū bonis omnibus replendos, vt iam iam aperiemus. O prouidentia suprema, quæ *f. Psal. 103. 28.* *g 144. 16.* manu tuā, vt omnia impleantur bonitate, & benedictione tua; ego te adoro, & glorifico tanquam

regi-

reginam & matrem meam; ac supplico, vt facias mecum matris & magistræ officium, protectricis & consolatricis meæ, & adiutricis vniuersalis in rebus omnibus meis. Si enim te propitiam habuerõ, omne bonum habebõ, & si tu me deserueris, omnibus replebor malis.

PUNCTVM III.

TERTIÒ est considerandum, quòd diuina prouidentia in eo sit tota, vt suarum creaturarum curam gerat.

I.

SED perpendenda est PRIMVM differentia inter Deum & homines. nam horum qui alios gubernant & aliorum curam gerunt, opus habent sui ipsorum curam gerere, & rerum propriarum; quæ ad eò solent illos occupare, vt non relinquunt illis locum, circumspiciendi, quæ alijs essent necessaria; at Deus Dominus noster (vt ait S. Thom.) non indiget vlla prouidentia sui ipsius aut rerum suarum, quia intra se ipsum habet omne bonum, ita vt nihil sibi deesse possit, neque aliquid aliunde sibi accessurum sperare. Tota igitur eius prouidentia respicit alios, creaturas videlicet, quas creauit, vt haberet, in quem suam prouidentiam exerceret: quæ, quòd sit infinite perfecta, magna perfectione prouidet, quidquid ipsi incumbit; quia ipse voluit in se recipere talem prouidentiam.

1. p. q. 22.
a. 1.

II.

S. Thom.
suprà a. 3.

HINC est, quòd prouidentia diuina ad omnes omnino creaturas, ita se extendat, vt nul-

lam excludat; & ad omnes homines, ita ut nul-
 lius obliuiscatur, etiam vilissimi & abiectis-
 simi. nam ut ait Sapiens, *h pusillum & magnū h sapi. 6. 8.*
ipse fecit, & equaliter cura est illi de omnibus.

Quare ne deficias, anima mea, aut amittas
 confidentiam tuam, cum tuam paruitatem as-
 picis. nam qualis qualis es, Deus te effecit;
 qui nunquā à sua providentia excludit, quem
 sua omnipotentia fecit; & qui non est dedi-
 gnatus te creare, neque gubernare dedigna-
 tur.

HINC etiam prouenit, ut ipsemet DEVS
 per seipsum suæ providentiæ sit executor. Li-
 cēt enim per alias creaturas provideat aliis,
 ipse tamen per seipsum omnibus assistit, in
 omni loco, & in omni tempore. nam (ut su-
 pra est dictum) ipse est in toto mundo, & in
 rebus singularis per essentiam, præsentiam, &
 potentiam, sciens quidquid fit, & nam ipse ag-
 noscit omnē operam hominis & adiuvat, ut fiant,
 & omnia prouidet admiranda sua gubernatio-
 ne, & quamuis *k Deus qui hominem ab initio*
constituit, reliquerit illum (ut ait Sapiens) in
manu consilij sui, & aquam & ignem apposuerit
ei, ut ad quodcunque voluerit, porrigat manum
suam; nō propterea deserit eorum prouiden-
tiam, vel actionum eorum etiam liberarum:
 nam omnes eas aut dirigit is, aut permittit, ad
 fines, quos ipse habet sibi propositos.

III.
S. Thom.
suprà a. 3.

Medit. 14.

i Eccl. 15. 20

k 15. 14.

HINC deoique prouenit, ut nihil in hoc
 mundo eueniat casu, respectu Dei Domini no-
 stri quamuis respectu hominum multa casu

IV.
S. Thom. 1.
p. q. 116. a. 1.

VI. Part. Med.

z

eue.

eueniant. nam Deus infinita sua sapientia nouit quidquid euenit, antequam eueniat; & sua prouidentia ita rem totam direxit & permisit propter supremum finem suæ gubernationis. propter suam uidelicet gloriam & manifestationem suæ misericordiæ iustitiæ, & reliquarum suarum perfectionum; propter bonum quoque iustorum & Electorum, quorum prouidentiam modo gerit excellentiori, *1. conuertens* (vt ait Apostolus) *omnia quæ eueniunt, in bonum diligentium Deum.* Ex quibus omnibus hoc concludo, quod vt fruar diuina prouidentia, ac ditescam infinitis thesauris in ipsa inclusis, multum iuuerit, aliquid de ea sentire, & tribuere illi omne bonum tanquam fonti & principio, vnde illud procedit; & credere uiua ac certissima fide, quod de ea hæcenus diximus, & postea dicemus, eo modo quo Deus illa reuelauit, & varijs experiētijs manifestauit. Ex quibus magnam concipiam de prouidentia ista confidentiam, & simul magnam resignationem, eo modo quo dicitur inferius.

1. Rom. 8. 28

Medit. 49.

ET super omnia diligam summè Patrem ipsius prouidentia, qui tanto amore suis creaturis consulit; reddamque illi amorem, & obsequia pro tanta prouidentia, quam de me & rebus omnibus gerit. O Pater benignissime ac prouidentissime, qui prouidentia ad te admirabili, prospicis omnibus creaturis, & ijs multò magis, qui fide amore accensa confidenter se proijciunt in manus tuas. qui-

bus

bus ego me Domine committo; siquidem
in illis sunt sortes meae; dirige ergo tua pro- *m Psal. 30.*
videntia omnes actiones meas, vt ita oculis *16.*
tuis placeant, vt felix mihi fors contingat
aeternae tuae beatitudinis, Amen.

MEDITATIO XXX.

DE PROVIDENTIA DEI
in gubernatione mundi &
hominum.

PUNCTVM I.



PRIMO tanquam fundamen-
tum huius Meditationis,
consideranda est altissima
providentia, quam DEVS
Dominus noster in mundi
creatione erga homines o-
stendit; & breuiter resu-

mmenda sunt quae in praecedentibus Meditatio-
nibus sunt posita.

Nam PRIMO Deus fabricauit domum, in
qua homines habitarent, iaciens eius funda-
menta, muros erigens, & testudinem supra
construens, Coelum videlicet; Terram, & ele-
menta, quae inter vtrumque iacent.

DEINDE tribus primis diebus fecit diuisiones

I.

II.